



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1656

§. 239. Currens autem vnus & implens spongiam aceto circumponensque
calamo. 36.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45533

Deus meus, nolo aliorum verba torquere in sensus deridiculos, video hoc facere ardeliones & scurras. Video quod id faciant hæretici nostri Reformati. Si hi audiunt Missæ nomen, ridicule carentiâ ex Germanica lingua effragunt, si nomen presbyteri, aiunt eum ter præbire oportere. Sic illi omnia sacra profanant & uti Harpyæ conspurcant. In consilium eorum non veniat anima mea.

§. 239. *Currens autem vnus & implens spongiam aceto circumponensque calamo. 36.*

Vel ex ipso vocis Dominicæ tono, vel quod statim quarto verbo Dominus adiunxerit quintum verbum (Sitio) vnus præsentium accepta occasione potum ei præbere, ope spongiæ in altum elatæ per calamum intendit, & ideo cucurrit ad acerum accipiendum. Bona, an illusoria intentione non audeo determinare. Vereor tamen vt peiore mente fecerit, nam acetum non tam sitientis potus est quam adiumentum, & confortatio deliquitæ patientis. Vereor igitur ne iste currens ad acetum de se promat iudicium quod apprehenderit Dominum alienatum a sensibus, quædam esse locutum & huic loquelæ iaculare remedium attulerit, vel afferre velle ostentatit.

Vere grauiâ sunt omnia quæ Dominus in carne tulit. Sed reuera grauiora sunt diætaria, quæ Dominum in spiritu afflixerunt. Mauult homo honestus centies pulsari in carne, quam sic vexari secundum intelligentiam. Heu quantos hodie inuenire est, qui pene pro nihilo ducant Deum non solum per gulæ vitium offendere sed etiam ludere. Ecce indulgentias, qui contemnunt, hi indulgentijs, quando de excessu in potu agitur, vtuntur. An non hoc est currere ad acerum? certe est falsum acetum. Hoc tamen aceto fere indies perfundunt Deum. sacra, & personas sacras nempe, deridicula faciunt, & ioculares risus ex religionis negotijs. Ignosce eis, Domine, quia nesciunt quid faciant.

§. 240. *Dicens: finite videamus. si veniat Elias ad deponendum eum. 7. 36.*

Nesciebam antea quid sibi vellet iste acerarius currendo & spongiam implendo bono an nequam spiritu curreret. Iam ex verbis eius capio, quis sit ardelio, nam vti auis ex cantu, ita hic ex tono verborum suorum æstimatur. Intelligo enim, quod illo currente, & spongiam aceto implente, & reuertente cum calamo armato spongia iocum fecerit totalibus, longissimi vitæ formam Domino bibituro offerre voluerit, socij autem eum rogauerint, tenuerintque ne tam grandi haustu impotentem oneraret. ille nauo ioco se opposuerit deprecatoribus; dicens: se haustum confortato-

rium